

RICUS.
e laudem, quae
signis ungue,
ant praeduce
peregri
ores? Quib
paror gaudi
am dispen
populis, qu
cum dixer
, & utrum
ipsis patre
illum Prin
nqua con
rerum or
e argumen
et Histori
ator! inje
erim, quod
atur.

EUMENII
ORATIO
DE
SCHOLIS
INSTAURANDIS.



V. P. P



ert
no
or
fr
stantium pleros
ineunte adolefc
quam isto in l
cumque illud,
deor consecutus,
foro jactare, me
quodam tirocinio
aspirem, à quo e
des ista iustitia
dum amplissima
genio, me ante
tempore, quam
ne litium genus
tia trepidatione
opinionum hominum
interpretatione ex
restituendis patrie



A D

V. P. PRÆSIDEM GALLIÆ.



ertum habeo, Vir perfectissimè!
non quidem te, qui semper in
omni genere dicendi, maximâ
facultate viguisti, sed circum-
stantium plerosque mirari, quòd ego, qui ab
ineunte adolescentiâ usque ad hunc diem nun-
quam isto in loco dixerim, & quantulum-
cumque illud, quod labore, ac diligentia vi-
deor consecutus, exercere privatim, quàm in
foro jactare, maluerim; nunc demum serò
quodam tirocinio ad insolitum mihi tribunal
aspirem, à quo ego me fateor (quanquam se-
des ista justitiæ & ad agendum, & ad dicen-
dum amplissima videretur) diffisum tamen in-
genio, me ante hac abfuisse, & hoc ipso in
tempore, quamvis diversissimum à contentio-
ne litium genus rationis habiturum, conscien-
tiæ trepidatione revocari. Ne quid igitur aut
opinionum dubium relinquam, aut
interpretationi ex hac postulatione, quàm de
restituendis patriæ meæ Menianis mihi fumen-
dam

dam potius, quam cuiquam delegandam putavi, majus de me aliquid, quam posse me sentio, videar promittere, contestatum esse initio dicendi apud audientes volo, temporarium me dicendi munus, atque id ipsum me studiis peculiariter commodare, non ad incognitam mihi sectam forensium patronorum, alienæ laudis cupiditate transire.

Neque enim tanta me aut negligentia, aut confidentia tenet, ut nesciam, quanta sit inter hanc aciem fori, & nostra illa secreta studiorum exercitia diversitas. Ibi armantur ingenia, hinc præliantur: ibi prælusio, hinc pugna committitur: hinc plerumque velut sudibus, & saxis, illic semper telis splendentibus dimicatur: hinc sudore, & quasi pulvere sordidus; illic insignis ornatu laudatur Orator: ut, si uterque experiundi causâ officia commutent, alium quidam turbarum sonus, & strepitus armorum, alium quidam triumphus deterreant. Scio hæc, (inquam) Vir perfectissime! neque me sciens fallo, & idcirco tantum abest, ut me docendi relictis, præcipiendique rationibus aptum, atque idoneum putem, ut hoc ipso, quod vel uno die, atque unâ de re in foro dicam, veniam magis possim sperare, quam gloriam. Quanquam in hac oratione, Vir perfectissime! loci tantummodò insolentiâ, non dicendi novitate perturber. Siquidem id postulo, quod non modò contradicendo nemo audeat impedire, sed omnes potius, quibus di-

vina

vina Princi
restitutio,
rio grata,
& favore f
quondam
frequentia
quæ instau
Ita quanti
tantum rel
ego, Vir p
ror dividen
ex usu, &
magnificenti
ne id possit
quidem Pri
cum aliquo
re proceder

Ante o
divinæ Imper
providentiæ,
tiæ, hujus qu
dum est: qui
Populi Rome
mum gravissi
cinio Batavic
Romani Prin
admiratione
ratione casu
runt: ipsam
immortalibu
dignam judic

vina Principum liberalitas, quibus urbis istius restitutio, quibus optimarum artium celebratio grata, atque jucunda est, summo gaudio, & favore suscipiant, ut Menianæ illæ scholæ, quondam pulcherrimo opere, & studiorum frequentiam celebres, & illustres juxta cætera, quæ instaurantur, opera, ac templa reparentur. Ita quantum mihi trepidationis affert locus, tantum relevat causa dicendi: quam quidem ego, Vir perfectissime! duas in partes arbitrator dividendam, ut prius differam, quam sit ex usu, & officio, opus illud ad pristinam magnificentiam reformari: deinde quâ ratione id possit sine sumptu publico ex largitione quidem Principum maximorum, sed tamen cum aliquo meo erga patriam studio, & amore procedere.

Ante omnia igitur, Vir perfectissime! divinæ Imperatorum, Cæsarumque nostrorum providentiæ, singularisque in nos benevolentia, hujus quoque operis instauratione parendum est: qui civitatem istam, & olim fraterno Populi Romani nomine gloriatam, & tunc demum gravissimâ clade perculsam, eum latrocinio Batavicæ rebellionis obsessa, auxilium Romani Principis irrogaret, non solum pro admiratione meritorum, sed etiam pro miseratione casuum, attollere, ac recreare voluerunt: ipsamque ruinarum ejus magnitudinem immortalibus liberalitatis suæ monumentis dignam judicaverunt; ut tantò esset illustrior
gloria

gloria restitutorum, quantò ipsa moles restitu-
tionis immanior. Itaque maximas pecunias,
& totum, si res poscat, ærarium non templis
modò, ac locis publicis reficiendis, sed etiam
privatis domibus indulgent; nec pecuniis mo-
dò, sed etiam artifices transmarinos, & ex
amplissimis Provinciarum ordinibus incolas
novos, & devotissimarum hyberna legionum:
quarum invicta roborata ne in his quidem, quæ
nunc, cum maximè egent, bellis requirunt, ut
commodis nostris studio gratiæ hospitalis ope-
rentur, & residues aquas, & novos amnes velu-
ti aridis fessæ urbis visceribus infundant.

Ex quo manifestum est, eos, qui Colo-
niam istam tot, tantisque operibus totius Im-
perii erigere, atque animare statuerunt, vel præ-
cipuè sedem illam liberalium literarum velle
reparari, cum peculiarem frequentiam hone-
stissimæ juventutis, illustrato studiorum ho-
nore, providerint: cui enim unquam veterum
Principum tantæ fuit curæ, ut doctrinæ, at-
què eloquentiæ studia florent, quantæ his
optimis, & indulgentissimis Dominis generis
humani, quos ego quidem, quantum ad vo-
tum, pietatèmq; pertinet, liberorum nostro-
rum Parentes appellare non dubito: qui no-
bilissimam istam indolem Galliarum suarum,
interitu summi Doctoris, orbatam respicere
dignati, suo potissimùm judicio præceptorem
ei, moderatorèmq; tribuerunt, & inter Im-
peratorias dispositiones summis Reipublicæ
Guber-

Gubernandæ
ram quoque
quàm si eques
consulendum
cerent, sui art
ad spem omni
ad stipendia c
tasse ad ipsa
teret, veluti r
lescentiæ flucti
signa sequerentur

In quo ego
sed Domini nos
venturis incredi
rum suarum s
tiam mirari sa
rarum hæc qu
nie (filio potius
molientem ipsu
toris retractare,
munus injunxit
ingenio meo, no
men verba, & d
curam, ab ar
el privatarum
non utique, quia
dia dixerim) tan
pro summis hon
vellet aliquid, im
here; sed ut pr
quem gessi, adde

Gubernandæ provisionibus occupatas, literarum quoque habuere delectum; neque aliter, quàm si equestri turmæ, vel cohorti Prætoris consulendum foret, quem potissimum præficerent, sui arbitrii esse duxerunt: ne ii, quos ad spem omnium Tribunalium, aut interdum ad stipendia cognitionum sacrarum, aut for- tasse ad ipsa Palatii magisteria provehi oporteret, veluti repentino nubilo in mediis adolescentiæ fluctibus deprehensi, incerta dicendi signa sequerentur.

In quo ego V. P. nihil laudi meæ tribuo; sed Domini nostri CONSTANTINI Principis juventutis incredibilem erga juventutem Galliarum suarum sollicitudinem, atque indulgentiam mirari satis nequeo: qui honorem literarum hæc quoque dignatione cumulavit, ut me (filio potius meo) ad pristina mea studia molientem ipsam jusserit disciplinas artis oratoris retractare, & huic in Palatio Parentis sui munus injunxerit, ut mediocrem quidem pro ingenio meo, naturæque vocem, cælestia tamen verba, & divina sensa Principum prolocuturam, ab arcanis sacrorum penetralium, ad privatarum Musarum adyta transtulerit: non utique, quia mihi quem (quod sinè invidiâ dixerim) tantâ dignatione respicit, quanta pro summis honoribus debet sufficere sapienti, vellet aliquid, impositâ istâ professione, detraxerit; sed ut professioni ipsi ex eo honore, quem gessi, adderet dignitatem. Cui igitur
dubium

dubium est, quin divina illa mens Cæsaris, quæ tanto studio præceptorem huic conventui juventutis elegit, etiam locum exercitiis illius dedicatum instaurari, atque exornari velit, cum omnes omnium rerum sectatores, atque fautores parum se satisfacere voto, & conscientia suæ credant, si non ipsarum, quas appetunt, gloriarum templa constituent. Inde est, quod Atheniensis humanitas Aram Misericordiæ instituit, quod Romani Ducis animi magnitudo Templum Virtutis, & Honoris. Quarum enim artium, sive animi affectionum magnis hominibus ingeneratus ardor fuerit, earum etiam consecrata existere ad posteros monumenta voluerunt.

Aedem HERCULIS, & Musarum in circo Flaminio FULVIUS ille nobilior ex pecuniâ censoriâ fecit, non id modò secutus, quod ipse literis, & summâ Poëtæ amicitia duceretur, sed quod in Græciâ, cum esset Imperator, acceperat HERCULEM Musagetem esse, id est: comitem, ducemque Musarum. Idemque primus, novem signa, hoc est, omnium Camænarum, ex Ambraciensi oppido translata, sub tutelâ fortissimi Numinis consecravit, ut res est: quia mutuis operibus, & præmiis juvari, ornarique deberent, Musarum quies defensione HERCULIS, & virtus HERCULIS voce Musarum. Credo igitur, tali Cæsar Herculeus, & avi HERCULIS, & Herculi patris instinctu, tanto studium literarum favore prosequitur,

ut

ut non minùs
stimet pertine
ciendi discipli
mentis æterna
menta esse vir
deltiæ, vigila
universa cum
venerunt, om
quæ diversiflin
strorum munim
omnis industria
bus, aut (ut ve
præceptorem Ca
natus sit, necesse
cupiat reformari
mitatem, cultu
iustius, & veri
que Musarum

Et sanè, Vir
gloria, quam tar
triumphis merenti
eorum virtutibus
tos parietes, sed
ipso urbis istius o
magis in facie, v
est, quàm hæc eac
sua advenientium

(*) Aedificia sup
sunt à MENO C
per. var. Meniana.

ut non minùs ad providentiam Numinis existimet pertinere bene dicendi, quàm rectè faciendi disciplinam, & pro divinâ intelligentiâ mentis æternæ sentiat literas omnium fundamenta esse virtutum, utpotè continentiæ, modestiæ, vigilantæ, patientiæ magistrasquæ universa cùm in consuetudinem tenerâ ætate venerunt, omnia deinceps officia vitæ ad ipsa, quæ diversissima videntur, militiæ, atque castrorum munimina convalescunt. Ideoque his omnis industriæ, atque omnis laudis nutricibus, aut (ut veriùs loquar) matribus, cùm præceptorem Cæsar Herculus declarare dignatus sit, necesse est etiam, sedem propriam cupiat reformari, ut, cùm ad antiquam firmitatem, cultumque reparata sit, multò hic justius, & verius nuncupetur ædes HERCULIS, atque Musarum.

Et sanè, Vir perfectissime! interest etiam gloriæ, quam tanti Principes tot victoriis ac triumphis merentur, ut ingenia, quæ canendis eorum virtutibus excoluntur, non intra privatos parietes, sed in publicâ ostentatione, & in ipso urbis istius ore vegetentur. Quid autem magis in facie, vultuque istius civitatis situm est, quàm hæc eadem Meniana (*) in ipso transitu advenientium huc invictissimorum Principum

(*) Aedificia super columnâ extracta sic dicta sunt à MENIO Censore. CALVINUS *in lex. jur. voc. Meniana.*

pum constituta, qui cùm se occurſu lætæ juventutis affici, non ſolùm liberalitate, quam ipſi tribuunt, ſed etiam literis, quibus me ad inſtitutionem ejus cohortantur, oſtentant, quantò plus capient voluptatis, cùm reparatarum videant ipſum conciliabulum juven-
tutis?

Ad hoc, Vir perfectiſſime! opus iſtud reddit illuſtrius cùm ipſorum Cæſarum, tum etiam omnium hominum aſpectu promptius, quod præcipuo eſt loco poſitum, quaſi inter ipſos oculos civitatis: inter APOLLINIS templum, atque Capitolium. Quò magis etiam ſacroſancta ſedes utriuſque lateris veneranda confinio, utriuſque Numinis inſtauranda reſpectu, ne Fana longè omnium in hac urbe pulcherrima labes media deformet: præſertim cùm mihi videatur ipſe ille, qui Meniana hæc primus extruxit, idcirco ea illic potiſſimùm collocaffe, ut veluti cognato vicinorum ſibi Numinum tenerentur amplexu: cùm auguſtiſſima teſta literis dedicata inde Athenarum conditrix MINERVA conſpiceret, hinc APOLLO medius Camœnarum. Igitur ibi maximè & oportet, & fas eſt exercere juven-
tutis ingenia, ubi tam propinqua ſunt Numina, amica doctri-
næ: ubi ex proximo juvat mens divina ſapientiam, & carminum DEUS vocem, & verecundiam virgo perpetua, & providentiam Præſcius futurorum.

Ibi

Ibi adoleſcen-
ſolenne carn-
Principum fa-
rior uſus eſt e-
quodammodo
audiant præd-
ſocia, & Jux

Satis veri-
fectiſſie! de e-
prius conſtituer-
officio inſtauranda
optimi Principe
in ipſa civitatis
templis utriuſque
cundum locum
id ſine ſumptu
ergitionis fieri
ne liberaliſſimi
et juribus in
cipere jufferunt:
tribuere commoc-
multò majora &
nia contulerunt:
quæ ſacræ memo-
honore privati h-
ſorte geminarent
tum ad honorem
& in accepti ra-
ſum referre patri-
tutus operis, qu-

Ibi adolescentes optimi discant, nobis quasi solenne carmen præfantibus, maximorum Principum facta celebrare. Quis enim melior usus est eloquentiæ, quàm ubi ante aras quodammodo suas, Jovios, Herculosque audiant prædicari, JUPITER Pater & MINERVA socia, & JUNO placata?

Satis verborum fecisse arbitror, Vir perfectissime! de eo, quod mihi ad dicendum priùs constitueram, quàm sit ex usu, atque officio instaurari opus illud studiis, quibus optimi Principes maximè favent, dedicatum, in ipsâ civitatis fronte positum, celeberrimis templis utrimque conjunctum. Nunc in secundum locum distuli, ut, quemadmodum id finè sumptu publico, & cum laude sacræ largitionis fieri possit, ostendam. Salarium me liberalissimi Principes ex hujus Reipublicæ juribus in sexentis millibus nummùm accipere jusserunt: non quoniam non amplius tribuere commodis meis vellent, in quem multò majora & priùs, quàm postea, præmia contulerunt: sed ut tercena illa festertia, quæ sacræ memoriæ Magister acceperam, in honore privati hujus magisterii addita pari forte geminarent. Hoc ego salarium, quantum ad honorem pertinet, adæratum accipio, & in accepti ratione perscribo: sed expensum referre patriæ cupio, & ad restitutionem hujus operis, quoad usus poposcerit, destinare.

nare. Cujus voluntatis meæ ratio etsi afferenda non est, tamen sub hac tuâ humanitate, & circumstantium expectatione, quâ me audiri sentio, aliquatenus prosequenda est.

Nam primùm omnium in hoc ego maximus esse fructus præmiorum puto, ut digni, quibus tribuantur, habeamur: siquidem ipse usus pecuniæ bonis, malisve artibus partæ promiscuus, & vilis est, honestis verò rationibus posse acquirere, summum, etiamsi quæstum remiseris, lucrum est. Neque enim Syrus mercator, aut Deliacus, aut Indicus ad uberrima ista compendia laudis aspirat, sed raræ, atque inter paucissimas opes sunt contentæ meritis conscientiæ. Quippe hoc ipso præmii gloria continetur, ne id cupiditate quærendi affectasse videamur. Quod hoc uno assequi possumus, si pro accepto ducamus oblatum: ut industriæ sit, assumendi copiam prævenire potuisse; continentiæ, præteruisse.

An si fortissimi viri in sacris certaminibus summo labore, atque etiam vitæ periculo solam vocem præconii, & coronæ testimonium petunt; ego verba illa divina, cælestesque literas, quibus mihi tanti Principes instituendam juventutem commendare dignati sunt, non ultra omnium vocum potentiam venerabundus accipiam? Non ultra omnes

laureas

laureas colan
hanc quoque
Neque enim
rationem sol
ducere fas
quantum me
ipsis modò li
dibus literar
eorum liberis
ingeniis artib
qu bilari cons
ut eorum indol
quod aliud præ
debemus, quod
tuna? Unde ar
ritu præceptor
ficere debuim
sem morum e
pulsatione con
dignitatis tue,
toriam receptes,
quam non ignora
formare, ad vite
excolas mentes.
tis aliquot tuis
professio ornet p
mitatem. Deniq
ta millibus num
sequi volumus,
pretium nostram
Eumenii charissim

laureas colam? Leges ergo V. P. tametsi, si hanc quoque mihi veniam tribuas, oportet. Neque enim ipsius epistolæ sacræ commemorationem solam sinè obsequio recitationis inducere fas est, ut perlecta magis eluceat, quantum me studium par sit impendere, non ipsis modò literis, sed etiam & templis ac sedibus literarum: *Merentur & Galli nostri, ut eorum liberis, quorum vita in Augusto oppido ingenuis artibus eruditur: & ipsi adolescentes, qui hilari consensu meum suscepere comitatum, ut eorum indoli consulere cupiamus. Proinde, quod aliud præmium his, quàm illud conferre debemus, quod nec dare potest, nec eripere fortuna? Unde auditorio huic, quod videtur intuitu præceptoris orbatum, te vel potissimum præficere debuimus, cujus eloquentiam, & gravitatem morum ex actis nostris habemus, & administratione compertam. Salvo igitur privilegio dignitatis tuæ, hortamur, ut professionem oratoriam receptes, atque in supra dictâ civitate, quam non ignoras nos ad pristinam gloriam reformare, ad vitæ melioris studium adolescentium excolas mentes. Nec putes hoc munere antè partibus aliquot tuis honoribus devogari, cum honesta professio ornet potius omnem, quàm destruat dignitatem. Denique etiam salarium te in sexcentis millibus nummâum ex Reipublicæ viribus consequi volumus, ut intelligas, meritis tuis etiam præteritum nostram constituere clementiam. Vale Eumeni charissime nobis.*

Ita non videtur, Vir perfectissime! hac tantorum Principum exhortatione non solum meus etiam ocio jacens, ad pristinas artes animus attolli, verum & veterum ipsi quodammodo scholarum parietes, & tecta consurgere. Quod enim tantum carmen *Amphionis*? quæ tanta plectro, fidibusque dulcedo? quam secuta quondam saxa perhibentur, ut ducentibus subvecta modulis, & ad intervalla carminum resistantia, sponte in murum velut arte construerentur, quanta in his Imperatorum, & Cæsarum literis inest ad omnes animorum impetus, effectusque rerum ciendos vis, atque permotio, qui quod jubere possint, suadere dignantur? Et cum vel tacitas eorum, ac vultu tenus significatas voluntates summi patris sequatur auctoritas, cujus nuntium, promissionemque firmantis, totius mundi tremor sentit, ipsi tamen ultro imperandi potestatem cohortandi humanitate conciliant, quin laudibus incitant, gravitatem morum, dicendi facultatem sibi probatam, & cognitam prædicantes, Palatini honoris privilegium oratoriae professioni salvum, & incolume servantes. Quibus ego divinæ benignitatis illecebris, etiam si omni sensu ante caruissem, ad quamvis profecto intelligentiam oneris adducerer. Siquidem tantos Principes, unum hominem tantâ laude decorare, non est oratorem admonere, sed facere.

Quid

Quid ig
Imò quid cu
aut CROESI,
se, Pactoli,
nibus divitiis
ponam, nis
tem SOCRAT
magnificenti
quàm quod
quorum ne ni
dicta, revocar
perfectissime!
norem spectat
que usum del
operi, in que
Videor enim
tinetur, ut se
ceam, hoc m
nurus, ut me
cipum judicis

Equidem
tanto me civita
quocunque oc
nem operum f
spiritum ident
te devoveam,
reparantur. S
nandæ professi
huic me præc
Et enim si bell

Quid igitur mihi cum numeratâ pecuniâ? Imò quid cum ullis opibus, aut MIDÆ Regis, aut CROESI, aut ipsius, qui auro dicitur fluxisse, Pactoli, cùm divina hæc testimonia omnibus divitiis, atque ipsis eorum præmiis anponam, nisi fortè Pythiados illius excellentem SOCRATIS sapientiam vaticinatae, aut magnificentius carmen videtur, aut verius, quàm quod Jovii, Herculiique pronunciant: quorum ne nutus quidem possunt, non modò dicta, revocari. Quamobrem, ut dixi, Vir perfectissime! sexcenta illa, quantum ad honorem spectat, accipi oportere censeo, atque usum delego patriæ, & ipsi potissimum operi, in quo studia nostra celebranda sunt. Videor enim mihi id, quod sacris literis continetur, ut salvo honoris mei privilegio doceam, hoc manifestius, atque illustrius retenturus, ut me dignum talibus æternorum Principum judiciis probem amore Reipublicæ.

Equidem ipsos patriæ DEOS testor, tanto me civitatis istius amore flagrare, ut, quocunque oculos circumtuli, ad restitutionem operum singulorum ita gaudio ferar, ut spiritum identidem meum pro illorum salute devoveam, quorum jussu, operibusque reparantur. Sed tamen hoc, quod mihi ornandæ professionis meæ causâ tributum est, huic me præcipuè sentio debere monumenta. Et enim si bello parta MARTI dicantur: si ma-

ri quæſita NEPTUNO: Si meſſes CERERI, ſi MERCURIO lucra libantur: ſi item res omnes ad cultum referantur Autorum: ubi fas eſt, docendi præmia conſecrare, niſi in ſede dicendi, præſertim cùm mihi ultra communem cum reliquis, ſtudiorum religionem, etiam proprius quidam ſit erga Meniana illa ex majorum meorum recordatione dilectus. Quamvis enim ante ingreſſum pueritiæ meæ prætermiſſa fuerit eorum exercendi ſtudii frequentatio, tamen illic avum quondam meum docuiſſe audio, hominem Athenis ortum, Romæ diu celebrem, mox in iſtâ urbe perſpectum, probato hominum amore, doctrinæ, atque huius ipſius operis veneratione detentum. Cujus ego locum, in quo (referunt) major octogenario docuit, ſi ab iſto venerabili ſene (te *Glauce!* appello, præſentem quem videmus, non civitate Atticum, ſed eloquio) reſcolli, ornarique perfecero: ipſum mihi videbor ad vitam tali profeſſionis ſuæ ſucceſſione revocaſſe. Quod quidem meum ego erga honorem domûs, ac familiæ meæ ſtudium non confiterer, vir perfectiſſime! niſi iſtis Imperatoribus, Cæſaribusque noſtris gratum eſſe conſiderem, ut publicam eorum in reſtituendo orbe pietatem pro ſuo quisque captu, in renovandis ſuorum veſtigiiſ æmuletur. Quis enim nunc ſit animo tam humili, tam abjecto, tam ab omni appetitione laudis alieno, ut non & quantulam,

cunque

omque mem
aliquid ſecun
cùm videat
rum labe con
ſurgentia: ro
habitas feri
frequentari.
contigit, ut
reſente inſula
le, tot orienti
ſulis ad human
evenire: niſi
ruina depreſſer
Oceano, quæ
gite liberata,
emerſit,

Aut hæc
Barbaria, non
ut hauſta, deſic
flumina, & me
quid ego alarum
cenſeam, toto
mite reſtituta?
mentia, tot ma
quæ calore foli

(*) Alæ dictæ
circum legiones
in avium corpori
Alæ Lib. XVI. Co

cunque memoriam suorum excitare, & sibi aliquid secundæ opinionis cupiat acquirere, cum videat omnia, quæ superiorum bellorum labe conciderant, hac felicitate seculi refulgentia: tot urbes diu sylvis obsitas, atque habitatas feris, instaurari mœnibus, incolis frequentari. Quod in Aegæo mari semel contigit, ut quæ operta fluctibus vagabatur, repente insula Delos existeret, ejus nunc simile, tot orientibus undique civitatibus, tot insulis ad humanos cultus quasi renascentibus, evenire: nisi fortè non gravior Britanniam ruina depresso, quàm si perfuso tegetetur Oceano, quæ profundissimo Pictorum gurgite liberata, ad conspectum Romanæ lucis emerfit,

Aut hæc ipsa, quæ modò desinit esse, Barbaria, non magis feritate Francorum velut hausta, desiderat, quàm si eam circumfusa flumina, & mare alluens operuisset. Nam quid ego alarum (*) & cohortium castra perenseam, toto Rheni, & Istri, & Euphratis limite restituta? Quæ Veris, autumnive clementiâ, tot manu positæ arbores coalescunt, quæ calore solis, tot depressæ imbribus sege-

K 5

tes

(*) Alæ dictæ exercitus equitum ordines, quod circum legiones dextrâ, sinistrâque tanquam alæ in avium corporibus locabantur. GELLIUS *Noct. Att. Lib. XVI. Cap. 4. in fine.*

tes resurgunt? Quot ubique muri vix reper-
tis veterum monumentorum vestigiis excitantur,
adeò, ut res est, aurea illa sæcula, quæ
non diu quondam SATURNO rege viguerunt,
nunc æternis auspiciis JOVIS, & HERCULIS re-
nascuntur.

Sed enim Vir perfectissime! inter omnia,
quæ virtute Principum, ac felicitate recrean-
tur, sint licet fortasse alia magnitudine, atque
utilitate potiora, nihil est tamen admirabilius
hac liberalitate, quam fovendis, honorandis-
ve literarum studiis impertiunt. Quippe ut
initio dixi, nulli unquam ante hac Principes
pari curâ belli munia, & hujusmodi pacis or-
namenta coluerunt. Diversissimus enim ad
utramque sectam deflexus est, dispar natura
mentium, & discrepans in electione judicium,
ipsorum denique utriusque artibus præfiden-
tium Numinum dissoni monitus, habitusque
dissimiles. Quò magis horum nova, & in-
credibilis est virtus, & humanitas, quæ inter
tanta opera bellorum ad hæc quoque litera-
rum exercitia respiciunt, atque illum tempo-
rum statum, quo, ut legimus, Romana res
plurimum terrâ & mari valuit, ita demum in-
tegrari putant, si non potentia, sed etiam elo-
quentia Romana revirescat. Detur ergo illa
mihi ab optimis virtutum omnium Dominis
tributa largitio, huic operi doctrinæ, atque
eloquentiæ dicata, ut, quemadmodum cetera
vitæ

vite nostræ ce-
rum DEOS ce-
dem erga litera-
rum sede cele-
illis porticibus
omnes terras,
invictissimi Prin-
tionum, aut vi-

Siquidem in
struendæ pueriti-
oculis discernere
piuntur auditu, o-
locorum situs, i-
sunt: quicquid v-
conditur, quacu-
ctunt, quove a-
rumpit oceanus,
rum pulcherrima
num argumenta i-
semperque venien-
revisuntur Perfidos
fientia, & conne-
ora multibda: dur-
intuentium animus
CLETIANE Auguste!
rore posito quiesc-
NE (*) invicte! pe-

(*) In Codice meo,
in Jurisp. Rom. & Ant.

vitæ nostræ commoda apud auxiliares eorum DEOS colimus, ita singularem eorundem erga literas dignationem in antiquâ literarum sede celeberrimus. Videat præterea in illis porticibus juvenus, & quotidie spectet omnes terras, & cuncta maria, & quicquid invictissimi Principes urbium, & gentium, nationum, aut virtute devincunt, aut terrore.

Siquidem illic (ut ipse vidisti) credo instruendæ pueritiæ causâ, quò manifestius oculis discernentur, quæ difficilius percipiuntur auditu, omnium cum nominibus suis locorum situs, spacia, intervalla descripta sunt: quicquid ubique fluminum oritur, & conditur, quacunque se littorum sinus flectunt, quòve ambitu cingit orbem, vel irrumpit oceanus, ibi fortissimorum Imperatorum pulcherrimæ res gestæ per diversa regionum argumenta recolantur, dum calentibus, semperque venientibus victoriarum nunciis revisuntur Persidos flumina, & Lybiæ arva sitientia, & connexa Rheni cornua, & Nili ora multifida: dumque sibi ad hæc singula intuentium animus attingit, aut sub tuâ, DIOCLETIANE Auguste! clementiâ Aegyptum furoris posito quiescentem, aut Te MAXIMIANE (*) invicte! perculsa Maurorum agmina ful-

(*) In Codice meo, ut & apud HEINECCIUM in *Jurisp. Rom. & Att. Tom. 1. pag. 1603.* legitur:
Maxi-


fulminantem, aut sub dexterâ tuâ Domine
 CONSTANTI Bataviam, Britanniamque squali-
 dum caput sylvis, & fluctibus exerentem,
 aut Te, MAXIMINE (*) Cæsar, Persicos ar-
 cus, pharetrasque calcantem. Nunc enim,
 nunc demum juvat orbem spectare depictum,
 cum in illo nihil videmus alienum.

Habes. Vir perfectissime! studii, ac vo-
 ti mei professionem, abs Te peto, ut eam
 literis tuis apud sacras aures prosequi non gra-
 veris. Siquidem maximus, ac pene solus
 fructus est recta cupientium, ut voluntas eo-
 rum ad divinam tantorum Principum scien-
 tiam perferatur.

Dixi.

Maximiniane. Mendosè omnino: siquidem MAXI-
 MINIANUM historia non refert, insuperque
 CUSPINIANUS *de Cæsar. p. m. 134.* scribit: *Plu-
 ra de laudibus Diocletiani, Jovii, & Maximiani
 Herculei elegantissimè in Panegyricis Eumenius, atque
 Mamertinus disseruerunt, qui videndi sunt.*

(*) HEINECCIUS legit: *Maximiane*: æquè
 bene: Sunt enim, qui GALERIUM MAXIMI-
 NUM ex veteribus monumentis MAXIMIANUM
 magis probent. GOTHOFREDUS *in Hist. univ.
 Part. II. Sect. I. p. m. 273.*



B A I

ANN

UTRAM